

MISZELLE

De Horatii poetae praenomine.

Et Vergilii et ipse suo utitur praenomine Horatius pro exemplo serm. II 5, 32 his uersibus:

‘Quinte’, puta aut ‘Publi’ — gaudent praenomine molles
auriculæ — ‘tibi me uirtus tua fecit amicum’ . . .

Ita loquentem inducit poeta hominem heredipetam coram diuite, quem uaferrime ille appellat similiter atque Lucretius poeta Memmium I 140:

sed tua me uirtus tamen et sperata uoluptas
suauis amicitiae . . .

forma tamen praenominis sui utitur hoc loco Horatius trita et uulgari. Sed in ecloga sequenti 6, 36 sua atque propria forma praenominis utitur poeta, ubi sodalem inducit, scribam quaestorium dico: nondum enim, etiamsi donatus sit Sabino, scriptum quaestorium, quem pauper comparauerat, ilico uendit delicatus. Appellat autem poetam scriba ille his uerbis:

‘de re communi scribae, magna atque noua, te
orabant hodie meminisses, Quinte, reuerti’.

Quae omnes quos noui editores hoc modo curarunt edenda. Quorum in numero qui nouissimus est, Franciscus Villeneuve in editione saturarum Parisina huius anni, ne dignam quidem iudicauit adnotatione lectionem codicis archetypi duorum Parisinorum, F Kelleri, qui praebet *quincte*. Sed cum M. Tullii frater teste codice B Vahleni, qui codex similis est praestantiae atque F ille, audiatur de legg. II 7, 18: ‘Sunt certa legum uerba, Quinte’, ubi eius gemellus A *quinte*, sed *te* habet in rasura, cum in carmine C. L. E. I 59 (Buecheleri) filia Q. Ranci Proti scribatur: *Quincti Ranci feilia*, in fastis C. I. L. I 1 ed. 2 p. 29 infima legamus *ludi saeculares quinct<i>*, nos neque poetae neque Q. Tullii praenomen c littera priuabimus, praesertim cum ille F archetypus testis ueteris scripturae passim agnoscat optimus, qui in eadem ecloga u. 33 solus seruauerit *uentumst* plaudente illo editore huius anni, passim formas quales sunt *caluom* serm. I 10, 19 tradiderit religiose.

Bonnae.

Fridericus Marx.